6.

DE CANCRO CUTIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET
ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE II. MENSIS DECEMBRIS ANNI 1844
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
BALTHASAR KERSTING,
GUESTFALUS.

OPPONENTIBUS:
J. MUELLER, MED. ET CHIR. DR.
B. BUNNEFELD, MED. ET CHIR. DR.
F. BISPINCK, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD CINERES USQUE VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRAS ESSE VULT

FILIUS.

§ 1. Cutis persaepe degenerationi et ulcerationi cancrosae subiecta est. Vario quidem modo ab iis corripitur. Mox carcinomata telarum internarum, imprimis glandularum, quae in tela cellulosa subcutanea obveniunt, ut mammae, testium etc. cutem prehendunt eamque evertunt [1]), modo haec praesente dyscrasia cancrosa in cute oriuntur, quem ad modum in melanoseos vel fungi medullaris decursu haud raro magnam cutis partem tumoribus melanoticis vel medullaribus obtectam observamus [2]). Denique etiam cutis primarie morbis carcinomatosis corripi potest. Nostrum est, in his pagellis, excepta exulceratione cutis, quum carcinoma telarum internarum corium ipsum perrumpit, alias duas tantum cutis cancri species tractare et exponere.

§ 2. Scripta de hoc morbo tam multa sunt, ut longum sit, omnes scriptores, qui eum tractarunt,

1) Rokitansky's Handbuch der speciellen patholog. Anatomie. Band I. p. 99. Wien 1844. — Bayle, traité des maladies cancéreuses. Tome I. Paris 1834.
2) Diss. inaug. de melanosi, auctor Schilling. Frcof. 1831. p. 28. § 15. — Roemhild de melanosi, dissert. inaug. Halis 1833. p. 6.

commemorare. Sufficiat, eos libros citare, ex quibus, tanquam fontibus, ad has pagellas conscribendas hausi:

v. Graefe's u. v. Walther's Journal für Augenheilkunde und Chirurg. Bd. V. Berlin 1805.

P. Pott the chirurgical works by Sir James Earle. Vol. III. London 1808.

Dictionaire des sciences medicales. Tome XXXVI. Paris 1819.

Mémoires de l'académie royale de Chirurgie Tome III. Paris 1819.

Ueber die Erzeugung krebsähnlicher Krankheiten durch örtliche Reizung und über den Schornsteinfeger-Krebs, von Earle übers. aus den Lond. med chir. Transact. Vol. XII. P. II. von Dr. C. Krause in Rust's Magazin Bd. XIX. Hft. I. Berlin 1825.

Scarpa A., opuscoli di Chirurgia. Vol. I. Pavia 1825.

Medico-chirurgical transactions. Vol. XII. P. II und Vol. XV. P. 1. London 1829.

A. Cooper. Lectures on the principles and practice of Surgery. Second edition. Lond. 1830.

Rust's Handbuch der Chirurgie. Bd. III Berlin u. Wien 1830.

Bayle Traité des maladies cancéreuses. Tome I Par. 1834.

Rayer P., Tracté des maladies de la peau. Par 1835. Tome II.

Hope's pathologische Anatomie, übersetzt von Dr. Krüger. Berlin 1837.

Warren C., Surgical observations on toumours Boston 1837.

Alibert's Hautkrankheiten, übersetzt von Dr. M. Bloest. Leipzig 1837.

Müller, über den feineren Bau der Geschwülste. I. Lief. Berlin 1838.

Boyer, Handbuch der Chirurgie, übersetzt von Textor. Bd. II. und VI. Würzburg 1838.

Gehring, Dissertat. inaug. de cancro cutis. Berlin 1839.

Fuchs's Hautkrankheiten. Göttingen 1840.

London medical gazette. Vol. II. Lond. 1841.

Chelius Handbuch der Chirurgie. Bd. IV. Heidelberg 1841.

Curling, on the diseases of the testis. London 1843.

Rokitansky's Handbuch der speciellen pathologischen Anatomie. Bd. I. Wien 1844.

Den pathologiske Anatomies Svar paa Sporgsmaalet: Hvad er Cancer? ved A Hannover. Kjobenhavn 1843.

Otto's Lehrbuch der pathologischen Anatomie. Bd. I. Berlin 1830.

§ 3. Morbi carcinomatosi omnibus in corii partibus oriuntur, ita tamen ut singulas ejus partes corripere diligant. Sic cancer imprimis in facie et quidem maxime in palpebris, in naso et genis observa-

tur[3]). Saepe is invenitur in ea parte, in qua coriu in membranam mucosam transit, ut in labiis, ano e praeputio[4]). Haud rarius observatur illud carcinoma quod oritur in scroto et cancer caminariorum voca tur[5]). Hae tamen partes non solae sunt, ut jam su pra dixi, in quibus cancer cutis observatur, se etiam in omnibus aliis corporis partibus, ut in collo cervice, capite et extremitatibus.

§ 4. Diagnosis cancri cutis nondum gaude magna firmitate et haud raro in singulis decursu stadiis cum aliis morbis confunditur. Hoc vero nun ab auctoribus celeberrimis[6]) affirmatur, diagnosi accuratam tumorum cancrosorum solummodo effic posse structurae anatomicae exploratione, microsco pii et analyseos chemicae subsidio. Hoc vero, u videtur, praecipue de cancro cutis est dicendum. I hac enim formationes exstant, ut excrescentiae, ver rucae etc., quae quoad formam externam prorsu consimiles sunt iis formationibus, ex quibus ulcu carcinomatosum procedit et exulceratione jam effect et ulcere cancroso exorto, distinctio ejus, ex chirur gorum maxime excellentium sententia, ab ulceribu

---

3) Surgical observations on tumours by Warren Boston 1837. p. 27.

4) Bayle, traité des maladies cancéreuses. Par. 1834 Tome I.

5) The chirurgical works of Percival Pott by Sir James Earle. Vol. III. Lond. 1808. p. 181.

6) Müller über den feineren Bau der Geschwülste Berlin 1838. p. 28.

diversi generis, uti syphiliticis, scrophulosis, a lupo etc. difficultate haud parva laborat [7]). Quoad vero structuram anatomicam et explorationem chemicam cancer cutis hucusqne parum tractatus et investigatus est, quum in hoc inquirendo majores difficultates, ut infra videbimus, quam in aliis carcinomatum generibus occurrunt.

§ 5. Ut accuratius intelligamus, qualis sit hujus rei status praesens, et quaenam sint scientiae desideria, liceat, sententias auctorum celeberrimorum perlustrare et breviter exponere. Auctores prioris aevi explorationis anatomicae cognitione nondum instructi, perperam hac de re opinati sunt. Postea vero tumoribus carcinomatosis quoad structuram anatomicam inter se distinctis, eos in classes disponere coeperunt, ita tamen ut morbos cancrosos modo ex structura anatomica ut cancrum melanaeum, c. medullarem, modo ex forma externa dividerent, ut cancrum tuberculosum, verrucosum etc.

§ 6. Alibert [8]) cancrum cutis distinguit in duo genera, in carcinum (*den eigentlichen Hautkrebs*) et in keloiden (*den Knollenkrebs*).

Genus primum notatum est nodo, qui ab initio sine doloribus est, tum vero, quia pruritum excitat,

---

7) Bayle l. c. Art. II. Maladie de la face et de l'interieur de la bouche p. 500.

8) Alibert's Vorlesungen über die Krankh. der Haut, übers. von Dr. M. Bloest. Lpz. 2ter Bd. p. 102 — 154. — Alibert, nosologie naturelle. Paris 1817. pag. 541 — 562.

ab aegrotis raditur, deinde dolores pungentes pro
vocat et denique in ulcerationem transit. Hocc
genus dividit in sex species:

1. in „carcinum tuberculosum." Hic ple
rumque in facie observatur, initio nodulum parvur
ostendens, qui postea in superficie discolorem ad
spectum prae se fert et crusta obducitur decidua e
semper denuo regenerata. Rasurae irritatione par
magis magisque doloribus afficitur, color mutatur
in regione circumsita venae dilatantur et ulcera
tio prodit.

2. in „c. verrucosum." Hic ex verruca
ortum ducit, quae facillime exulceratur. Haec ver
ruca invenitur praecipue in scroto et cancrum ca
minariorum sic dictum exhibet.

3. in „c. melanaeum*)." Hic exoritur e
macula nigra, et in morbi decursu tubercula nigr
formantur, in quibus cutis, vehementissimis doloribu
comitantibus in ulcerationem transit. Nota singulari
horum tuberculorum color niger est. Ulcus poste
ex iis exortum margines reversos et fungosos exhi
bet et cunctis remediis repugnat.

4. in „c. eburneum." Hic est inter omne
maxime perniciosus. Maximos excitat dolores, ma
gnamque telae cellulosae subcutaneae partem indu
ratam et tumefactam reddit.

5. in „c. globulosum**)." Haec species
fungositates globulosas exhibet, quae quoad colorem

*) vide tabulam K in Alibert. nosolog.

**) vide tabulam H eod. loco.

et formam baccis juniperi haud dissimiles sunt. Ex hisce globulis postea materies saniosa et foetida effluit.

6. in „c. medullarem.“ Character eius in tumescentia molli, fluctuante, digito prementi cedente, constat. Invenitur in omnibus corporis partibus.

Genus secundum kilis sive keloides vocatur. Haec est ex Aliberti sententia illa cutis affectio cancrosa, quae unam et interdum plures excrescentias, duras, digiti pressioni resistentes exhibet. Modo earum forma cylindrica, modo rotunda vel subrotunda est. Media in parte sunt complanatae et in margine toriformes et ex lateribus radices in cutem mittunt, quae cicatrisationi combustionem sequenti haud dissimilis est. Tumor hic dolores vehementissimos provocat ejusque status longius per tempus non mutatur. Nota inter kelin et carcinum characteristica praeter colorem diversum in eo constat, quod kelis semper fere indurata remanet atque raro in ulcerationem transit. Quia kelis dolores movet lancinantes, Alibert hac de causa carcinomatibus cutis adnumeravit. Praeterea statuit „kelin spuriam“, quae doloribus caret et quam cancro cutis non adnumerat.

§ 7. Rayer [9]) dicit, carcinoma cutis notari uno vel pluribus tuberculis, quae brevi, vel longiori post tempore doloribus lancinantibus afficerentur. Haec tubercula ex ejus sententia e tela scirrhosa

---

9) Rayer traité des maladies de la peau. Paris 1835. T. II. p. 252—296.

vel materia encephaloidica constant. Dividit cutis cancrum in sex species:

1. in „*cancer vulgaire*“; in hoc tubercula sunt plerumque seiuncta, haud raro tamen coacervata observantur. Plerumque in palpebris formantur. Longum per tempus interdum doloribus carent; haud raro tamen jam ab initio vehementer dolent. Irritata intumnscunt, colorem lividum exhibent et in ulcerationem transeunt. Quoad structuram anatomicam hic auctor tubercula haec accuratius investigavit et observavit, illa ab initio e cutis condensatione formata esse, quae postea lardi speciem prae se ferat. Sectio transversa et microscopii subsidium telam lardosam, fibris albidis intertextam, exhibent. Interdum praeterea ab hacce tela materiam encephaloidicam observavit.

2. „*c. mélané.*“ De hocce cancro idem, quod Alibert statuit.

3. „*c. leucé;*“ hic cancer colore instructus est albido, lacti haud dissimili. Alii ejusmodi tumores complanati et media in parte compressi sunt, quorum margines vasis abundant. Alii rotundi sunt, et media in parte multis vasis instructi, quorum margines colorem albidum exhibent.

4. „*c. globuleux;*“ hi tumores sunt parvi, rotundi, colore rubro praediti et quoad structuram anatomicam et consistentiam lardi naturam imitantur.

5. „*c. mollusciforme.*“ Haec species tubercula complanata, media in parte aliquantulum cum scirrho in aliis organis plane congruit. In illa

convexa et colorem cutis naturalem ostendit. Superficies tuberculi plicata est et in tuberculis majoribus plicae in centrum concurrunt. Tela eorum est vere scirrhosa.

6. Denique distinguit „*cancer verruqueux*“ (*cancer des ramoneurs*). Vide illum Aliberti.

§ 8. Bayle duo genera distinxit, quorum alterum „*cancer squirrheux de la peau*“ vocavit. Huic omnes illas species adnumeravit, quae ex nodo scrirrhoso originem ducunt, cujus sedes plerumque in tela cellulosa subcutanea. Quoad structuram anatomicam haec congruit cum scirrho mammae. Alterum genus „*eruptions cancéreuses ou cancer rongeant de la peau*“ nominavit. Huic generi omnes illas degenerationes cutis cancrosas adscripsit, quas alii autores Francogallici „noli me tangere“ vocant. — Stadia evolutionis tria constituit. — In stadio primo cancer ex formationibus maxime diversis originem ducit, modo ex excoriatione modo ex lenticulo, — modo ex naevo, modo ex parva excrescentia, modo ex parva induratione modo ex verruca etc. Stadium secundum cognoscitur, si exulceratio intrat et stadium tertium, si totus organismus dyscrasia cancrosa inficitur. Ex investigatione anatomico-pathologica ex Baylei sententia sequitur, illas species, quas „*cancer squirrheux*“ nominat e peculiari materia cancrosa constare, quae

---

10) A. L. J. Bayle traité des maladies cancéreuses. Paris 1834. T. I. p. 460.

vero specie, quam „*cancer rongeant*“ vocat ple
rumque nec oculis non armatis, nec armatis telar
carcinomatosam genuinam invenire potuit.

§ 9. Warren [11]) tria genera constituit:

1) „Lepoiden.“ Hoc nomine illum mor
bum cancrosum significat, qui in facie senum impri
mis oritur. Hoc genus initio plerumque exhibet for
mam crustae. Crusta est scabra, irregularis, e
rubro colore praedita et verrucae figuram imitatur
Crusta saepius decidens et denuo pluries sese re
generans denique ulcus reliquit.

2) „Keloiden.“ Hoc genus in tres specie
dividit, quarum prima elevationem cutis albidam e
permanentem, secunda (*the spider-like pimple*) pa
pulam arachnoiden et tertia keloiden Aliberti exhi
bet. Prima et secunda species ex Hawkins [12]) sen
tentia iis non adnumerari possunt. Affirmat enim
primam speciem naevum esse, secundam vero fun
gum haematodem. Quod ad tertiam speciem per
tinet, Warren dicit, hanc esse morbum periculosum.
Color eius magis ruber est, quam cutis circumsita.
et emittit prolongationes rubras, ita ut fere bufonis
figuram exhibeat. Haec species tactu maximos ex
citat dolores. Observatur praesertim in humeris,
cervice et genis.

---

11) C. Warren, surgical observations on tumours.
Boston 1837. p. 22 — 49.

12) Hawkins, cheloid tumours in London medical
gazette. Vol. II. for the session 1840 — 41. London
1841. p. 919.

3) „Eiloiden.“ Sic tumorem propter similitudinem cum viscerum aëre inflatorum flexuris nominavit. Est hic vera cutis productio, et ab initio cicatrisationi ex combustione similis est. Ruboris et ulcerationis expers cito crescit et denique aegroti vitam evertit.

Quod ad cancros cutis alios attinet, iis nomen dedit ex partibus, in quibus obveniunt, ut cancer nasi, labii, etc.

§ 10. Rokitansky[13]) divisionem cancri cutis ex structura anatomica telae carcinomatosae constituit et hocce modo distinxit:

1) „Cancrum cutis fibrosum.“ Dicit, hunc primarie existere et imprimis in facie et quidem in naso et labiis, interdum etiam in aliis corporis partibus inveniri. Secundum ejus observationem hic cancer est nodus subrotundus et gibbosus, saepissime complanatus, et sub cutis superficie depressus est. Praeterea durus resistens est et magnitudinem pisi usque ad nucem avellanam exhibet.

2) Distinxit „cancrum medullarem“, quem morbum secundarium esse, dicit auctor, ita ut modo cancri medullaris modo dyscrasiae universalis sequela sit. Quoad structuram anatomicam hic cum carcinomate in aliis telis medullari plane congruit. — Haud raro etiam pigmentum nigrum in ipsa deponitur, quo in casu a Rokitansky haec species „carcinoma melanodes“ vocatur. Statuit etiam,

---

13) Rokitansky's path. Anat. Wien 1844. B. I. p. 99.

particulas elementares interdum in telangiectasia deponi et hoc in casu hanc speciem „fungum haematoden“ nominavit. Quod ad carcinum Aliberti eburnium pertinet, Rokitansky contendit, hanc speciem affectionem secundariam esse habendam, exortam e telis cancrosis subcutaneis. Dubium esse dicit, cui speciei cancri cutis hic sit adnumerandus, et ex habitu partis aegrotantis colligit, carcinoma hoc esse aestimandum fibrosum. Autor opinatur, ulcus carcinomatosum generari posse e speciebus, quas supra commemoravimus, sed concedit, non omnia ulcera carcinomatosa uno eodemque modo generari et haud raro etiam alias ulcerationes, quae antea non carcinomatosae fuerint, hunc characterem sibi vindicare.

Müller [14]) dicit, investigationem cancri cutis accuratiorem, quantum attinet ad structuram anatomicam, nondum fieri posse, et confitetur, sese inter cancros cutis semel carcinoma reticulatum invenisse.

§ 11. Ex his auctorum observationibus colligi potest, cancrum cutis jam ab initio telam exhibere carcinomatosam, imprimis si e nodis evolvitur, qui vel telae subcutaneae cellulosae vel cuti ipsi inserti sunt. Sic carcinoma cutis, quod e talibus nodis originem ducit, in hasce species disponere poterimus:

1) In cancrum fibrosum. Huic cancer glo-

---

14) Müller über den feineren Bau der Geschwülste. Berlin 1838. p. 28.

buleux Aliberti[15]) et Rayeri[16]) tum cancer molluсiforme et vulgaire[17]) Rayeri et denique tumeur squirrheux Baylei[18]) adnumerandi sunt. Observatur hic saepe in partibus nasi lateralibus, labiis, genis etc. Praeceptor meus Ill. Baum permultos hujus speciei cancros exstirpavit, eosque ope microscopii accuratius exploravit.*)

---

15) loc. cit. pag. 112. 16) loc. cit. pag. 259.
17) loc. cit. pag. 252. 18) loc. cit. pag. 460.

*) Carcinoma labii inferioris sectione transversa facta formatum erat ex massa fungo simili, labio superposita, globulis, stromateque fibroso. Huic corpora, quae globulos supra appellavi, subrotunda inter sese sejuncta, longitudinem linearum trium et amplitudinem linearum duarum explentia, inserta erant; stroma fibrosum ea amplectens nonnullis locis inter fungositates, quae supra labii marginem formatae erant, sese extendit. — Exploratio microscopica et chemica haecce edocuit: in corporibus rotundis globuli haud parvi ambitus, in diametro 0,053 usque ad 0,028‴, cellularum nucleorum expertes et cellulas minores, corpusculis puris haud dissimiles continebantur. Quoad rationem chemicam nec aether nec acidum aceticum nec liquor ammonii caustici reagendo aliquid mutarunt. Fibrosum stroma albissimum corpuscula amorpha et granulosa in accuratiori exploratione ostendebat. Fungositatis super labii margine formatae, partes singulae modo constabant ex epithelio, modo amorphae erant modo cellulis, corpusculis puris similibus, instructae erant. — In alio inferioris labii carcinomate minore eadem ipsa inventa sunt.

Carcinoma aliud, quod sedem habuerat infra palpebram inferioriorem, simili modo materiam cancrosam albidam et fibrosam exhibuit, in cuius media parte corpora nubila, parum circumscripta et corpusculis puris majora observantur. Haec corpora in epithelii cellulas transire videbantur.

2) Cancer cutis quatenus est fungus medullaris. Rokitansky, Alibert, Rayer, Fuchs et omnes recentes auctores hanc speciem constituerunt. Ex Rokitansky sententia hoc carcinoma medullare imprimis cum dyscrasia cancrosa coniunctum observatur. In nosocomio nostro cancer labii inferioris exstirpatus est, qui sub hac forma cancri peculiari perplures annos lentissime increscens duraverat, donec in ejus externa parte, quae propius ad angulum oris sita erat, fungus medullaris exortus est, veram suam naturam incremento celere, forma globosa, consistentia molli exhibens; minutae ejus partes sub microscopio corpuscula caudata visui obtulerunt, quae, etsi fungo medullari non peculiaria, saepissime tamen in eo conspiciuntur. Brevi post exstirpationem factam in maxillae inferioris angulo magnus fungus medullaris exoriebatur et paucis post hebdomatis aegrotus diem obiit supremum.

3. Melanosis saepe in cute observatur. Haec melanosis revera in cute primarie generari potest, sed plerumque originem ducit e melanosi, quam auctores exc. gr. Schilling[19]), Roemhild[20]) universam vocant. Ill. Baum[21]) hanc ipsam observavit in puella, simulque plura organa, ut cor et pulmones a melanosi correpta vidit.

A nonnullis scriptoribus etiam statuitur, haud

---

19) loc. cit. pag. 28.
20) loc. cit. pag. 6.
21) Mündliche Mittheilung. Siehe auch Müller's Buch über den feineren Bau der Geschwülste p. 19.

ro in telangiectasia materiam carcinomatosam de-
oni. Rokitansky[22]) et alii auctores hoc vocarunt
ngum haematodem. Alii ut Walther etc. telangi-
ctasiam malignam. Haec species mihi non esse
mor peculiaris videtur, sed magis complicatio.

Mueller[23]) dicit, sese uno tantum in casu car-
noma reticulatum invenisse.

§. 12. Jam vero restant multae aliae forma-
ones, in quibus diagnosis anatomica valde infirma
st, ita ut non modo species, cui adnumerandae sint,
ondum investigata sed etiam incertum sit, num in
niversum carcinomatosam exhibeant telam. Su-
ra enim vidimus, cancrum cutis non semper origi-
em ducere ex nodo scirrhoso, sed etiam ex aliis
ormationibus e. c. ex verruca, macula nigrescente,
xcoriatione, excrescentiis etc. et haud minus vidi-
nus, ulcerationes etiam, quae ab initio haud mali-
nae erant, in decursu posteriori transire posse in
ormationes cancrosas. Jam pridem auctores quae-
tiones moverunt, num cancer cutis semper ex nodo
cirrhoso exoriatur nec ne. Scarpa[24]) affirmat,
uodvis ulcus carcinomatosum exoriri ex scirrho.
De Walther[25]) hanc sententiam acriter examinavit
et cognovit, carcinoma cutis aliter sese habere. Di-

---

22) loc. cit. pag. 99.
23) loc. cit. pag. 28.
24) A. Scarpa, opuscoli di chirurgia. V. I. Pavia 1825.
25) v. Walther über Verhärtung, Scirrhus etc. Journal der Chir. und Augenheilk. von v. Graefe und v. Walther. Band V. Berlin 1823. p. 209.

cit enim, solummodo fere cancrum labii ex nodo scir rhoso evolvi, saepissime vero ex verruca. Scarp quidem concedit, carcinoma generari posse ex ver ruca, sed affirmat ex aliorum sententia identitaten verrucae cum nodo scirrhoso. De Walther hoc nega ea de causa, quia haec verruca, plerumquein naso e glande penis observata, telam lardosam, febris albi dis intertextam, non exhibeat. Cum de Walther sententia etiam Bayle[26]) consentiens dicit, sese i „*cancer rongeant*", cui generi inter alias specie etiam hanc verrucosam adnumerat, telam interdun scirrhosam observasse, saepius vero nihil invenisse Rokitansky[27]) opinatur, cancrum caminariorum qui ex verruca, ab Anglis[28]) *soot-wart* (*Russwarze* nominata, oritur, in decursu posteriore plane congruere cum carcinomate medullari. Nostrum non est, hac de re fusius disserere. Jam vero liquet formationes, characteris cancrosi expertes, saepissime commutari cum iis, quae postea in ulcus carcinomatosum transeunt. Hoc idem valet de keloide Aliberti et Warreni, et dubitandum est, num hic morbus adnumerandus sit illis formationibus, quae postea in morbum cancrosum transeunt. Doloribus, quos excitat, natura ejus cancrosa, ut Alibert vult, comprobari non potest. Hawkin[29]) et M. Teyve hunc cutis tumorem accuratius microscopii ope explorarunt et affirmarunt, nihil esse, nisi cutis hyper-

---

26) l. c. pag. 497.
27) l. c. pag. 100.
28) Pott l. c.
29) l. c. pag. 923.

rophiam. Etiam Rokitansky [30]) his auctoribus con-entit et opinatur, hunc tumorem cutis e callositate constare. Interdum observavit, keloiden in ulcera-ionem transire, ex qua haud raro natura maligna xoriri possit. Statuit praeterea, hunc tumorem riginem ducere ex dyscrasia; sed ejus naturam huc-isque dubiam et incognitam esse.

§. 13. Quod vero ad ulcerationes pertinet, in uarum decursu posteriori character malignus ob-ervatur, ab auctoribus celeberrimis conceditur, na-uram earum carcinomatosam via anatomico-patho-ogica nullo modo esse comprobandam. Quaeritur gitur optimo jure, cur hae ipsae ulcerationes morbis ancrosis adnumerandae sint, quum nota inter om-es certissima, quam nobis anatome suppeditat, plane areant. In tali rerum conditione, quemadmodum Rokitansky et alii dicunt, nihil aliud restat, nisi ut e anatome pathologica speremus, quod hucusque raestari non potuit. Praeterea contra naturam car-inomatosam pugnare videntur aliae harum ulcera-ionum proprietates, quae aliis morbis cancrosis et uidem genuinis conveniunt, exempli causa decursus etardatus etc. Hoc vero inde repetendum, quod n cancro cutis malum locale naturae mitioris habe-nus, neque malum ex constitutione vitiosa exortum. Propter has, quas dixi difficultates, diagnosis verae arum ulcerationum non mirum esse potest, si vide-nus, persaepe ulcerationibus maxime diversae na-

---

30) l. c. pag. 97.

turae characterem carcinomatosum attributum ess
et illas inter se commutari. Sic ex. c. auctores non
nulli Biett et Ledran[31]) affectionibus cancrosis no
men „Noli me tangere“ imposuerunt, dum alii, u
Samuel Cooper[32]) et James Houghton[33]) hoc no
mine etiam lupum descripserunt. Medico igitur
praxin exercenti, nihil restat, nisi ut diagnosin horun
morborum e decursu hauriat, ipsorum naturam cun
aliis morbis carcinomatosis comparet et identitaten
cum iis comprobare studeat.

§. 14. Nunc restat, ut illos morbos enumere
mus, qui magnam similitudinem cum carcinomat
cutis exhibent, et notas diagnosticas constituamus
Hoc modo diagnosis ulcerum cancrosorum stabili
posse videtur. Illae formationes pathologicae, qui
buscum cancer cutis commutari potest, sunt lupu
et morbi cutis syphilitici et scrophulosi.

Quoad lupum, eo differt a carcinomate cutis
quod in lupo nascente plura tubercula, in carcino
mate vero solummodo unum observetur. Lupus mult
velocius in ulcerationem transit, carcinoma vero pe
plures annos existere potest, ita ut ulceratio no
proveniat. Tubercula cancrosa sunt dura et inter
dum valde dolorosa; lupi vero sunt mollia et nun

31) Mémoires de l'academie royale de chirurgie. T
III. Paris 1819. pag. 101.
32) Samuel Cooper, dictionary of pratical surgery
London 1829. Art. noli me tangere.
33) James Houghton in the cyclopaedie of practica
medicine. London 1834. pag. 169. Art. noli m
tangere.

quam excitant dolores. Haec etiam existunt apud homines juveniles et plerumque ante evolutionis aetatem, cancrosa autem tubercula nascuntur plerumque in senibus aut certe in involutionis aetate. Si lupus et carcinoma jam in ulcerationem transierunt, adspectus horum duorum valde diversus est, in carcinomate plerumque venae in circuitu varicosae formantur, basis et margines ulceris cancrosi tactui resistunt; haud raro etiam fungositates generantur, e quibus interdum sanies sanguineus effluit. Si longius per tempus lupus duravit, plerumque in ulceris marginibus cicatrisationem exhibet, quod in carcinomate, etsi persaepe crustis obtegitur, nunquam observare possumus; nonnulli etiam auctores statuerunt tanquam notam lupi characteristicam, quod ossa nisi sedem teneat in naso nunquam laedat [34]).

Quoad affectiones syphiliticas, haud raro cancro cutis maxime sunt similes, ita ut scriptores celeberrimi concedant, ex solo adspectu ulceris nullam certam diagnosin fieri posse, eo magis, quod in his duabus affectionibus glandularum intumescentia haud raro observatur. Nil restat his in casibus nisi ut anamnesis, aliaque symptomata syphilitica, exempli causa palati, ulcera faucium, dolores osteocopi etc., denique curatio antisyphilitica medicum e tenebris educant. In universum notae diagnosticae sunt de-

34) Den pathologiske Anatomie Svar paa Sporgsmaalet: Hvad er. Cancer? ved Adolph Hannover. Kjobenhavn 1843. pag. 35.

cursus ulcerum syphiliticorum rapidior, tum mollities baseos et marginum ulcerationis et color cuprinus cutis.

Quod pertinet ad ulcera scrophulosa haec ipsa imprimis in hominibus juvenilibus, dyscrasiae scrophulosae speciem prae se ferentibus inveniuntur. Horum margines etiam sunt molles et secretio ulcerationis magis est caseosa. Curatio antiscrophulosa etiam medicum de natura morbi edocere debet. Sed saepè omni curationi resistunt, subito, interdumque si medicus nescit, quam viam carpat, haec ulcera sua sponte in cicatrisationem transeunt, quod in carcinomate cutis nunquam observatur.

§ 15. Quibus ex causis carcinoma in universum et illud cutis in specie, quod tractandum in hoc libello sumpsimus, generetur, tantopere obscurum est, ut nobis nihil restet, nisi ut conditiones exponamus, in quibus saepissime observatur. Ut intelligamus, quam parum hac in re cognoverimus, commemorare sufficit, saepius cancrum cutis absque ulla causa generatum observari. Hoc loco solummodo carcinoma cutis primarie exortum tractabo, omissa illa carcinomatis specie, quae originem ducit e dyscrasia cancrosa. Inter causas praedisponentes imprimis a scriptoribus dispositio haereditaria nominatur. Difficile est certi aliquid atque distincti hac de re statuere, quum scriptores tantopere inter se discrepent, et a nonnullis scriptoribus ex. c. Bayle[35]) carcinoma cutis in

35) l. c. pag. 477.

liberis eorum parentum, qui e carcinomate mortem obierunt, observatum. Attamen hae observationes non sufficiunt, ut legem ab omnibus omnino concessam statuere possimus. Hac in re teneamus necesse est, hos ipsos liberos haud dubie iisdem vitae incommodis quam parentes obnoxios fuisse, exempli causa caminarios Anglicos. — Aetas haud dubie proclivitatem ad generandum carcinoma cutis exhibet magnam, ita ut jure optimo affirmare possimus, cum annis etiam proclivitatem in hunc morbum crescere. Si enim homines iisdem expositi sunt causis, senes tantum aut certe aetate provectos correptos videmus. „Ante pubertatem," dicit Hippocrates, „hic morbus sane non enascitur." Quoad dyscrasias ex. c. scrophulosin, arthritiden et syphilitiden hae a nonnullis scriptoribus, Fuchs[36]), Wedemeier[37]) et aliis, tanquam causae cancri cutis disponentes accusantur. Attamen vix fieri poterit, ut earum coniunctio cum carcinomate evidenter demonstretur. Hoc solummodo affirmare licet, carcinoma cutis in individuis dyscrasia laborantibus saepius observari, quam in individuis bona valetudine praeditis. Utrum vero hae dyscrasiae dispositionem in cancrum cutis singularem provocent, an carcinoma ea de causa imprimis in his individuis generetur, quia eorum cutis morbis magis obnoxia sit,

---

36) Fuchs Hautkrankheiten. Göttingen 1840. pag. 833.
37) Medicinisch - chirurg. Beobacht. u. Bemerkungen in Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Band 13. S. 1.

hoc tempore nondum dijudicari potest. Quantum attinet ad causas occasionales, primum omnium contagium respiciendum est. Constat, priori tempore cancrum in universum et in specie c. cutis declaratum fuisse contagiosum; postea haec sententia relicta est; nuperrime tamen in memoriam revocata. Experimenta, quae hac de re instituta sunt, nihil certi edocuerunt. Alibert[38]) inseruit materiam cancrosam sibi et pluribus amicis, morbum carcinomatosum inde orientem non observans. Langenbeck[39]) experimenta in brutis instituit et materiam cancrosam venis cuniculorum injecit, qui brevi tempore post moriebantur. In eorum pulmonibus se tubercula e cancrosa materia constantia invenisse contendit, quam vero observationem alii scriptores in dubium vocarunt. Tuberculorum in pulmonibus observatio etiam post alias injectiones in hoc organo saepius facta est.

Quantum attinet ad alias causas externas, hae ipsae haud dubie magnam vim habent ad provocandum cancrum cutis et hac in re mihi Mülleri[40]) sententia de Waltheri[41]) opinione, quam de cancro in universum habet, vera esse videtur, „carcinoma illis irritamentis generari, quae non sufficiant ad reactionem in forma inflammationis provocandam."

Jam necesse est, ut hanc rem accuratius examinemus, quia inde lux accendi potest ad naturam

38) l. c. pag. 134.
39) Fuchs Hautkrankheiten l. c. pag. 834.
40) l. c. pag. 29. 41) l. c. pag. 205.

carcinomatis cutis explorandam. Nostrum igitur erit, singula carcinomata cutis accuratius tractare, ut hanc sententiam veritati consentaneam demonstrare possimus. Cancer cutis singulas corporis partes, imprimis regionem infraorbitalem labii, glandem penis et scrotum invadere solet. Hae ipsae corporis regiones magis quam aliae irritamentis externis expositae sunt.

Facies imprimis talibus incommodis obnoxia est. Semper nuda omnibus tempestatis mutationibus exposita, sordibus et lacrimis magis, quam aliae partes irritatur.[42])

Nec minus obnoxia sunt causis externis labia, magis vero labium inferius et quidem vel irritamento e dente acuminato, vel ex usu furmandi, vel ex aliis causis. Sic Alibert,[43]), Bayle[44]) et alii autores observarunt, avium venditores, qui columbarum pullas alunt, et in hoc negotio eorum rostra ore excipiunt, persaepe carcinomate labii laborare.

A. Cooper[45]) praesertim usum, fumum nicotianae sugendi, causam occasionalem cancri labii accusat, dicens: ,, *Which disease generally arises from the use of a pipe, and the manner in which it happens is this: — the adhesive nature of the clay of which the pipe is made, causes it to adhere*

---

42) Mémoires de l'academie royale de chirurgie. Paris 1819. T. III. pag. 101.

43) l. c. pag. 133. 44) l. c. pag. 491.

45) Lectures of surgery by Sir A. Cooper. Ed. II. London 1830. pag. 436.

to the lip; at length the cuticle becomes torn off, and the continued irritation frets the sore into true cancerous disease. I am quite sure that it is produced in this way, for never saw the diseases se in the upper lip more than once.“

His ipsis ex causis carcinoma labii apud viros saepius, quam apud feminas observari mihi videtur: Gault[46]) rationem numeri ut 1 : 30 constituit. — Quod pertinet ad rationem numeri, qua labium superius rarius quam labium inferius carcinomate affectum observatur, Bayle eam constituit ut 1 : 50.[47])

Carcinoma penis in iis fere solummodo individuis invenitur, quae phimosi laborant[48]), quae res imprimis inde repetitur, quod secretis glandularum acris irritamentum in praeputium exerceat, nec non urinae acrimonia irritamenti causa habetur.

Maxime vero illam sententiam comprobat carcinoma caminariorum sic dictum, in quo haud dubie carcinoma e fuliginis irritamento originem ducit et causa, ex qua hoc carcinoma saepissime in Anglia observatur, in caminorum Angliae constructione angustiori invenitur. Haec fuligo cuti scroti plicatae ita adhaerescit ut cum sudoris secretione, quae persaepe hac in parte observatur, coniuncta cutis irri-

46) Gault, Essai sur le cancer de levres. Dissertation inaug. Paris 1805. pag. 14.
47) Bayle l. c. pag. 492.
48) Ueber die Erzeugung krebsähnlicher Krankheiten durch örtliche Reizung von Earle, übersetzt von Crause in Rust's Magazin. Berlin 1825. Bd. XIX. pag. 22.

mentum maximum ponat, ex quo verruca *(soot-wart)* ormatur, quam postea ulcus carcinomatosum sequiur[49]). Hoc ulcus facillime transit in testiculos et n totum organismum ita, ut dyscrasia carcinomatosa nde eveniat. Narrantur etiam multa ejusmodi exemla, in aliis corporis partibus, ut in manibus etc. odem modo fuliginis irritamento similem verrucam xortam esse, quam postea ulcus carcinomatosum ecutum sit.

§ 16. Cancer cutis in universum meliore prognosi gaudet, quam carcinoma in omnibus ceteris rganismi telis; excludamus vero necesse est illas species, quae e carcinomatosa dyscrasia provenerunt. Experientia docuit, carcinoma cutis justo tempore exstirpatum sanari posse[50]). Hoc mirandum est, quum scrutatores pathologici investigaverint, cutem vasis resorbentibus, quae veneni carcinomatosi propagatores ab omnibus omnino habentur, tantopere abundare[51]). Hujus rei causa sine dubio in eo constat, quod cancer cutis incipiens non existat ex universali constitutionis vitio, sed morbus sit plane localis[52]) et in decursu demum posteriori constitutionem corripiat. Simul ex eo colligi possit, vasa resorbentia ad venenum cancrosum propagandum parum conferre, quum experientia doceat, carcinoma

49) vid. cit. libr. nro. 48. pag. 31.
50) Earle, Warren, Cooper locis citatis.
51) Hawkins l. c. pag. 920.
52) Mueller l. c. pag. 28.

cutis per plures annos existere posse, ceterum or ganismum nullo modo laedens.

Facile autem intelligi potest, non omne carci noma prognosi pariter fausta gaudere. Haec pra ceteris ex causis constituitur. Si sumere licet, car cinoma ex aliquo irritamento exortum esse, progno sis haud infausta est.

Porro prognosis e specie cancri pendet. Quun vero specierum forma externa hucusque parum in vestigata sit, prognosis hac in parte non facile es constituenda. Si fungi medullaris naturam imitatur prognosis est pessima. Hujus rei causae possun esse prima, quia haec species plerumque secunda rie exoriatur[53]), secunda, quia ex Rokitansky sen tentia dyscrasiam universalem promoveat, tertia de nique, quia velocissime in ulcerationem transeat. — Cancer melané hac ex causa malam prognosin prae bet, quum ex Rayeri[54]) sententia post exstirpatio nem facillime redeat. In forma cancri fibrosi even tum feliciorem promittit, nec non si ex verruca ge neratur. Prognosis melior est, si unum solummod carcinoma adest, pejor vero, si pluribus in corporis partibus carcinomata aegrotum infestant, et quiden ea de causa, quia in eo proclivitas organismi in dy scrasiam cancrosam cerni potest.

Prognosis porro ex carcinomatis evolutionis gradu dijudicanda est. Longius per tempus si ulcera-

---

53) Rokitansky l. c. pag. 101.
54) Rayer l. c. p. 266.

ones adfuerunt, de carcinomatis exstirpatione desperandum est; exempla tamen non desunt, hoc in casu carcinomata exstirpatione sanata esse.

Glandulae vero si intumuerunt (quod quidem, ut Boyer[55]) dicit, in cancro faciei nunquam fere evenit) sanatio per exstirpationem nullo fere modo sperari potest.

§ 17. In tractanda curatione illud tantum carcinoma respicere liceat, quod primarie in cute generatum observatur. Rationes, in curando carcinomate cutis constituendae, hae sunt:

1) Remotio omnium causarum. Quoad causas praedisponentes a medico constitutionis vitia respicienda sunt. Quae per remedia contra dyscrasias adhibita etiam in carcinomate curando praestari possint, ex iis, quae in Aetiologia de earum cum cancro cutis conjunctione diximus, elucet. Quod attinet ad causas occasionales, omnia irritamenta, quae ad carcinoma provocandum contulerunt, diligentissime evitanda sunt.

2) Medendi ratio secunda contra morbum localem adhibenda est. Hac in re remotio directa carcinomatis est consideranda.

Haec remotio duplici modo effici potest, per cultrum et per cauterium.

Attamen in removendo carcinomate cutis cautelae observandae sunt.

---

55) Boyer's Handbuch der Chir. übers. von Textor. Würzburg 1838. Band VI. pag. 290.

Warren[56]) et alii nonnullas species cancri cu
tis etc. carcinoma labii remotione directa exstirpa
runt, in quibus casibus sanatio nullo modo speran
potuit et quidem ea de causa, ut aegrotos a mole
stiis liberarent. His assentire lubricum videtur, quum
post exstirpationem aliis in organis carcinoma exori
soleat, eoque aegroti vita multo rapidius exstingua
tur. Hic valet illud Hippocratis[57]): „Quibus cancr
occulti fiunt, eos non curare praestat. Qui enim cu
rantur, celeriter pereunt; qui vero non curantur
multum tempus perdurant.“

Contraindicationes remotionis directae sequen
tes sunt:

1. Symptomata si observantur, ex quibus constitutionis passio et dyscrasia cancrosa colligi potest, nullo modo de operatione aliquid fausti sperandum est. Carcinoma si in pluribus partibus erupit, eo morbi universalis prapagatio indicatur. Glandulae circumsitae si intumuerunt, ut in cancro labii inferioris glandulae submaxillares, neque haec intumescentia fortuita est, operatio contraindicata est, quod morbus cancrosus etiam post glandularum exstirpationem semper fere redit.

2. Si aegroti vires sunt prostratae et haec consumptio e vera dyscrasia carcinomatosa prodiit, non vero humorum jacturam et dolores secuta est, operatio vetatur.

---

56) l. c.
57) Aphorism. 38. Liber VI. Berlin 1822.

3. Omnia cancrosa nisi removeri possunt,) operatione abstinendum est, quum experientia ocuerit, si pars quam minima supersit, inde malum ırsus crescere, et quidem eo rapidius, quod neglecae illae reliquiae operatione irritarentur.

4. Cautius etiam operatio est instituenda, carcinoma, ita ut singulares causae noxiae obserari nequiverint, evolutum quam si tardius proressum est.

Nunc vero quaeritur, utrum per cultrum, an er cauterium materia cancrosa removenda sit. mnes fere auctores recentes consentiunt, remotinem per excisionem illi per cauterisationem praeerendam esse. Sic enim melius omnia morbosa et uspecta removeri possunt. Vires cauterii vero ante perationem non sunt metuendae. Saepe remedium on tam efficax est, ut omne morbosum removeat, t hac de causa persaepe aegroto maximum damrum affertur, dum cancer hoc irritamento ipse rapiius crescit.

Postquam per cultrum materia cancrosa renota est, permulti suaserunt, tum vulneri caustium applicandum. Hoc mihi probari non posse idetur, sed, si ut Hunter et Abernethy dispositioiem partium, morbosa circumcingentium ad revoandum cancrum aptam sumamus, procul a carciomate per cutem sanam secare et sic partes induatas circumscribere, melius est. Si vulnus nihiloecius adspectum malignum prae se fert, respiciendum est, num quid morbosi fortasse relictum sit.

Tum denuo operationem instituas, nam a multi scriptoribus relatum legimus saepe, si bis et te operatio repetita sit, aegrotum sanatum esse.

Altera operationis methodus est cauterisati Saepe medicus hanc viam carpere debet, si aegro tus excisionem refutat. Sed hac sub condition operationem perficiat, si ulcus carcinomatosum pa tium mollium tam superficiale (linearum 2—3) es ut continenti actu vastari possit.

Inter cauteria Arsenicum optimum laudatur quidem non solum propter erodentem effectum, se etiam, ut de Walther et Rust [58]) dicunt, ob totiu constitutionis, quam efficit, mutationem.

Hoc Arsenicum maxime variis in formulis ad hibetur. Praestantissimae sunt illae fratris Cosm et Helmundi [59]). Nonnulli medici pulveris fratri Cosmi cinerem solearum calcinatarum omiserunt e remediorum rationem mutarunt. Alii enim arsenic admiscuerunt fuliginem et radicem serpentaria (Fuchs), alii ranunculum acrem et flammulam vul garem (Plunket et Plenk), alii hydrargyrum muri aticum mitem (Dupuytren) etc.

Alia caustica adhibita sunt, kali causticum quo Dupuytren in forma solutionis saturatae utitur hydrargyrum muriaticum corrosivum, ope gumm mimosae et aquae ad pastam redactum.

---

58) Rust's Helcologie. Band II. Wien 1811. S. 102.
59) Rust's Magazin für die gesammte Heilk. Bd. XIX Berlin 1825. pag. 55—82.

Maxime vero Hancke[60]) et Canquoin[61]) tempore recentiori laudant zincum muriaticum. Si enim, dicit Hanke, ulcus carcinomatosum magnam cutis partem devastavit, de adhibendo arsenico est metuendum, ne intoxicatio intret. Zincum muriaticum itur illi est praeferendum et quidem in forma pulveris puri aut ope farinae ut pasta aut in solutione adhibendum. Optimos eventus huins remedii applicationem sequentes vidit. Récamier argentum nitricum fusum adhibuit, atque liquorem Bellostii aut solutionem lapidis infernalis in acido nitrico aut solutionem auri muriatici puri (gran. vj in acid. muriat. vel nitr. ℥j) commendat.

Si vero malum tantos fecit progressus, ut curatio radicalis non amplius sperari possit, nihil restat, nisi ut vitam aegroti prolongare et dolores molestiasque lenire, medicus studeat.

Quod pertinet ad affectionem localem, hic secretioni foetidae remidiis idoneis emendandae medicus operam navare debet. Si haemorrhagiae intrant, quae interdum aegroti dolores mitigant, remediis stypticis, ne nimis aegrotum debilitent, curandae

60) Chlorzink als Heilmittel gegen Syphilis, chronische Exantheme und Ulcerationen von Dr. J. W. Hancke. Breslau 1841. pag. 180.

61) Canquoin — die Behandlung das Krebses, eine ausführl. Darstellung der, jede Operation mit dem schneidenden Instrumente ausschliessenden Methode. Deutsch v. Frankenberg. Braunschw. 1839. pag. 57.

sunt. Ut leniantur dolores, usus internus opii op
mum est remedium. Si vero organismus huic r
medio assuevit, acidum borussicum in vicem succ
dat. Ad emendandam aegroti constitutionem illa su
adhibenda remedia, quae directe roborando sanguir
agunt, et praesertim martialia.

Ad vires sustentandas aegrotum diaeta bland
nutriente alas, lacte, seris lactis chalybeatis, aqu
Selterana, lichene islandico etc.

Praesertim vero aegrotorum animos depresso
erigere medicus studeat; nam hanc animi depressio
nem vitae finem maxime accelerare inter omne
constat. —

VITA.

Monasterii Joannes Balthasar Kersting, ecclesiae addictus catholicae, mense Januario anno hujus saeculi primo et vicesimo natus sum, patre Joanne Kersting, quem superstitem adhuc pia mente veneror, matre Elisabetha, e gente Herting, quam quatuor ante annos morte mihi ereptam maxime lugeo. Primis elementis imbutus gymnasium Monastcriense, quod t. t. Directore Ill. Nadermann florebat, adii: quo absoluto examineque pro maturitate rite superato, auctumno a. MDCCCXL in civium academiae Monasteriensis numerum a Rectore Magnifico Beat. Schlüter receptus, philosophiae studiosis ab Ill. Esser, philosophorum ordinis t. t. Decano, adscriptus sum. Per tria semestria hisce interfui scholis:

Ill. Esser me edocuit Logicen et Psychologiam.

Beat. Roling Physicen et Astrognosiam.

Cel. Becks Zoologiam et Anatomiam comparatam, Mineralogiam, Geognosiam et Botanicen. Eundem praeceptorem in excursionibus quoque botanicis sectatus sum.

Cel. Schmedding Chemiam et Physicen.

Eodem tempore etiam praelectiones, quae in instituto Reg. medico-chirurgico habebantur, per duo semestria audivi:

Ill. Tortual de Anatomia generali et speciali, de cadaverum rite dissecandorum arte.

Ill. Haindorf de Physiologia.

Cel. Wirthensohn de Pathologia et Therapia generali.

Exp. Bernay de Diaetetice.

Cel. Prosector Riefenstahl de rebus anatomicis repetitoria.

Tempore paschali anno MDCCCXLII almam universitatem Gryphiam petii, cujus civibus ab Ill. Seifert, t. t. fasces academicos tenente, adscriptus et nomen meum professus apud Ill. Schultze, t. t. Decanum gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilem, per quinque semestria hisce Viris Illustrissimis, Doctissimis Praeceptoribus usus sum:

Ill. Hornschuch mihi praeceptor fuit in Demonstrationibus corporum naturalium Musei zoologici.

Ill. Schultze disserentem audivi de Anatomia corporis humani, de physiologia, de Anatomia pathologica et comparata.

Ill. Berndt, de Therapia generali, de Pathologia et Therapia speciali, de Morbis psychicis et de Arte obstetricia, de Politia medica.

Ill. Seifert de Pathologia generali, de Semiotice, de Materia medica, de Arte fascias rite alligandi, de Arte formulas rite cocinnandi, de Medicina forensi.

Ill. Baum de Chirurgia speciali, de ophthalmiatrice; nec non dux mihi fuit in exercitationibus operationum chirurgicarum in cadavere instituendis.

Cel. Laurer de Angiologia et Neurologia, de Fracturis

et Luxationibus; nec non repetitorio de Anatomia, quod instituit, interfui.

Exp. Berndt de Historia medicinae, de Chirurgia generali, de Morbis organorum pectoris una cum auscultationis et percussionis exercitationibus, de Operationibus obstetriciis, de Akiurgia.

Clinicis interfui: medico et obstetricio Directore Ill. Berndt, chirurgico et ophthalmiatrico Directore Ill. Baum.

Omnibus his Praeceptoribns gratias ago quam naximas; praesertim Pracceptori meo aestumatissimo Prof. Ill. Baum, qui eximia liberalitate et humanitate ıon solum bibliothecam suam usui meo suppeditavit, ed etiam microscopio degenerationes carcinomatosas percrutandi mihi saepius occasionem dedit.

Jam, quum mihi a Summo Ministerio ad exanina subeunda doctoralia venia data esset, tentaminibus t philosophico et medico atque examine rigoroso supeatis, spero, fore, ut dissertatione et thesibus defensis ummi medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Carcinoma cutis operatione sanabile.

II.

Medicamina, nisi in sanguinem recepta, efficacia non sunt.

III.

Docimasiam pulmonum hydrostaticam fallacem censeo.

IV.

Nulla vitae actio chemica aut physica.